

Text 11: Hättet ihr Sestius geehrt? (Sest. 81-83 m. Ausl.)

Hic quaero, iudices: Si illo die gens ista Clodia, quod facere voluit, effecisset, si P. Sestius, qui pro occiso relictus est, occisus esset, fuistisne ad arma ituri? Fuistisne vos ad patrium illum animum maiorumque virtutem excitaturi?
5 Fuistisne aliquando rem publicam a funesto latrone repetituri? An etiam tum quiesceretis, cunctaremini, timeretis, cum rem publicam a facinerosissimis sicariis et a servis esse oppressam atque conculcatam videretis? Cuius igitur mortem ulcisceremini, si quidem liberi esse et habere rem publicam cogitaretis, – de eius virtute vivi, quid vos loqui, quid
10 sentire, quid cogitare, quid iudicare oporteat, dubitandum putatis? (...) Ac si tum P. Sestius, iudices, in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset, non dubito, quin, si modo esset in re publica senatus, si maiestas populi Romani
15 revixisset, aliquando statua huic ob rem publicam interfecto in foro statueretur. Nec vero illorum quisquam, quos a maioribus nostris morte obita positos in illo loco atque in rostris collocatos videtis, esset P. Sestio aut acerbitate mortis aut animo in rem publicam praeponendus. Qui cum causam
20 civis calamitosi, causam amici, causam bene de re publica meriti, causam senatus, causam Italiae, causam rei publicae suscepisset, cumque auspiciis religionique parens obnuntiaret, quod senserat, luce palam a nefariis pestibus in deorum hominumque conspectu esset occisus sanctissimo in templo,
25 sanctissima in causa, sanctissimo in magistratu.